VITA MARCI TULLII CICERONIS LITTERARIA

Jacopo Facciolati

Goo l

VITA
M. TULLII
CICERONIS
LITTERARIA

Citius in mundo genus hominum, quam nomen Ciceronis cadet.
Vellejus Paterc. l. 2. c. 66.

337. 15

PATAVII, MDCCLX.
Typis Seminarii.
SUPERIORUM PERMISSU.

DE LITTERARIA CICERONIS VITA

AD COM. H. D. R. Φιλοκικέρωνα.

J. F.

JUre miraris, de unius hominis vita quatuor exarari potuiſſe volumina. Homo unus quantumvis magnus, ſi cum tota comparetur hominum ſocietate, paullo ſupra nihilum eſt; ideoque ejus acta cognoſcere cupienti pauciſſimæ pagellæ poſſunt eſſe ſatis. Populorum & provinciarum hiſtoria volumina debentur. Ceterum multa ſcribere volenti ne in mediocris quidem ingenii & fortunæ homine deeſſe materia poteſt, modo diu vixerit, &

in publico verſatus fuerit , ob ea ſcilicet quæ nos undique circumſtant, & pro rerum ac temporum viciſſitudine in volentes nolenteſque incurrunt . Habes hic Ciceronem, & eum quidem Ciceronem, quem unum quæris, oratorum coryphæum, & rationis officiique magiſtrum. Si ego acta ejus omnia & conſilia civica perſequi voluiſſem, Romanam illorum temporum hiſtoriam darem. Sed alii nobis præſtantes viri laudem hanc præripuere . Qui multa poſcit, eos adeat. Vale.

M. Tul-

252

M Tullius Cicero Arpini natus eſt in colle extra urbem III. non. jan. anno U. C. DCXLVII. Marco patre, matre Helvia, loco Equeſtri, ex tribu Cornelia. Nactus ingenium, quod unum populus Romanus, ut ait M. Seneca, par imperio ſuo habuit, prima ſtudiorum rudimenta Romæ poſuit cum conſobrinis ſuis Aculeonis filiis, curante L. Craſſo viro eloquentiſſimo, apud Græcum magni nominis Grammaticum. Sed cum illuſtris per ea tempora Poeta Archia Romam adveniſſet, illi ſe inſtituendum dedit; tantumque profecit, ut, exacta vix pueritia, poema de Glauci apotheoſi condere potuerit, cui titulus *Glaucus Pontius*. Sumpta virili toga anno ſexto decimo ductus eſt in forum, ut in more poſitum erat; commendatuſque Senatori ac Juriſconſulto illorum temporum principi Q. Mucio Scævolæ, qui Augur dictus eſt, a cujus latere, quamdiu in vivis fuit, nunquam diſceſſit.

Poſt mortem ejus contulit ſe ad Scævolam Pontificem, quem ipſe appellare ſolebat Juriſperitorum eloquentiſſimum, eloquentium Juriſperitiſſimum. His magiſtris tantum profecit, ut in ipſo juventutis flore cum celeberrimo quoque ejus ætatis oratore decimando certaret. Multa ad parandam Latinæ linguæ copiam ex Græco vertit tum ſoluta, tum ligata numeris, cujuſmodi ſunt orationes doæ, Æſchinis in Cteſiphontem, & Demoſthenis pro Cteſiphonte, Xenophontis Œconomicus, & Arati Phænomena. Scripſit & Latinum poema de C. Marii laudibus, atque alia id genus, quorum extant vel tituli ſolum, vel fragmenta pauca. Cœperat primum ita ſe exercere, ut propoſita ſibi ſummi oratoris, vel poetæ lucubratione aliqua, cujus ſententiam poſſet memoria comprehendere, ſuis ipſe verbis eam efferret; ſed poſtea mutato conſilio, magnorum virorum ſcripta, ſi Latina eſſent, fideliter ediſcere maluit; ſi Græca, Latinis verbis explicare. Quotidie autem legebat aliquid, & ſcribebat etiam, præſertim ſiquid ex cauſis forenſibus, & Magiſtratuum concionibus, quas diligenter audiebat, memoria dignum judicaret, ſuiſque exercitationibus utile. Per id ferme tempus libros duos de *Rhetorica Inventione* compoſuit, quos poſtea noo admodum probavit, ſed ſibi adoleſcentulo excidiſſe ſcribit in libro de Orat. I. c. 2. De-

253
clamabat aſſidue, & quidem ſæpius Græce, tum quod Græci ſermonis copia atque ornamentis magis ali ingenium exiſtimaret; tum etiam ut intelligi & corrigi a doctis vitis poſſet, qui ex Græcia bello Mithridatico cum profugiſſent, Romæ erant. Eadem occaſione uſus, ad philoſophica ſtudia, quæ antea leviter attigerat, ſub Philone Academico animum retulit; iiſque incenſus Stoicos quoque cognoſcere voluit, duce ac magiſtro Diodoto, a quo puer Dialecticam didicerat. Hunc vero præcipue dilexit, domique ſuæ, quamdiu vixit, hoſpitem habuit. Ad annum ætatis ſextum & viceſimum cum perveniſſet, Græcus magni nominis Orator Romam venit Molo Rhodienſis, ad quem ſtatim Marcus acceſſit, ut, comparatis jam diſciplinarum præſidiis, totum ſe eloquentiæ daret, in eaque conquieſceret. Inde orta forenſis exercitationis initia, quæ tantum illi nominis & famæ citiſſime pepererunt, ut hoc ipſo anno in P. Quinctii cauſſa, cum Hortenſio oratore ſummo apud C. Aquillium judicem pugnare potuerit luculenta illa & exaggerata, quæ inter ejus orationes primum locum occupat. Ex quo tempore magna fuit inter ipſum & Hortenſium ſine invidia & obtrectatione oratoriæ laudis æmulatio. In privatis porro cauſſis cum ſatis clarum ſui documentum dediſſet, anno ſequenti publicam ſuſcepit pro Sex. Roſcio

Amerino adverſus L. Cornelium Chryſogonum L. Syllæ Dictatoris libertum, cum ejus patrocinium propter Syllæ dominantis opes nemo ſuſcipere auderet. Cauſſa hæc tantum commendationis habuit, quemadmodum ipſe in Bruto ſcribit, ut nulla jam eſſet, quæ non digna patrocinio ejus crederetur. Attamen ſeu metu Syllæ, ut Plutarchus putat, ſeu valetudinis gratia, ut Cicero ipſe in Bruto profitetur, curſum abrupit; totoque biennio Græciam Aſiamque peragravit: quo itinere omnem artium ac diſciplinarum varietatem cognovit, quæ tum maxime in iis regionibus florebant. Ac primum quidem Athenas profectus eſt; ibique cum ſtudiorum gratia commorantem T. Pomponium Atticum inveniſſet, id potiſſimum fuit in cauſſa, cur inter ſe totius vitæ amicitia & officiis conjungerentur: unde orti libri ſexdecim epiſtolarum ad Atticum. Quamvis autem frequenter ſimul eſſent apud Phædrum & Zenonem Epicureos, Cicero tamen libentius Antiochum audiebat veteris Academiæ propugnatorem; ejuſque per menſes admodum ſex hoſpes fuit. Nec vero interim eloquentiæ ſtudia omiſit, ſed apud Demetrium Syrum non ignobilem dicendi magiſtrum aſſidue exercebatur. Morem hunc etiam in Aſia tenuit, quo cum ſe contuliſſet, Rhetoras non paucos invenit, quibus operam daret, Menippum Stratonicenſem, Æſchy-

Æſchylum Cnidium, Xenoclem Adramyttenum, & alios; donec Rhodum migravit ad priſtinum magiſtrum Molonem, ubi quotidie fere declamabat, & quidem Græce dumtaxat, quod Latini ſermonis judices deeſſent Confirmata valetudine, noviſque comparatis eloquentiæ præſidiis, in patriam rediit ad intermiſſa cauſſarum forenſium munia; inter quas celeberrima fuit, quam dixit pro Roſcio Comœdo. Sed pars ejus orationis maxima deſideratur.

Anno poſt, ætatis XXXI. Quæſtor cunctis ſuffragiis a populo Romano factus eſt, datuſque Sex. Peducæo Siciliæ Prætori. Ibi Archimedis ſepulchrum detexit ſeptum undique vepribus ac dumetis, & Syracuſanis ignoratum oſtendit, ut eſt in Tuſculana V. c. 23. Romam reverſus cœpit rurſus in foro cauſſiſque verſari, nec indignum Oratore putavit ex ipſo theatro proficere. Adhibuit igitur hiſtriones Æſopum & Roſcium, motus geſtuſque magiſtros, ſolitus etiam interdum cum Roſcio contendere, uter eamdem ſententiam, alter geſtu, alter ſermone, ſæpius variaret, magiſque exprimeret: quæ res ad tantam artis ſuæ fiduciam Roſcium adduxit, inquit Macrobius Saturnalium l. 2. c. 10) *ut librum conſcriberet, quo eloquentiam cum hiſtrionia compararet.*

Ædilitati proximus petendæ cum eſſet, Siculis enixe poſtulantibus, Verris accuſatio-

 nem

nem ſuſcepit, qui illorum Prætor fuerat, obſiſtente Q. Cæcilio Verris Quæſtore, qui ſibi accuſationis honorem deberi contendebat. Certatum eſt oratione illa, quæ *Divinatio* dicitur, qood in rei futuræ judicio verſaretur; repulſuſque Cæcilius, tamquam mioime par Hortenſio Verris defenſori. Et quia ne calliditate quidem carebat, cum animadvertiſſet, Hortenſium tamdiu rem ducere velle, dum Prætor & Conſilium mutaretur, Cicero, ut judicii tempus contraheret, brevem quandam excogitavit accuſandi rationem per teſtes & tabulas, ſine oratoria criminum explicatione; idque luculenter *Actione prima* cum expoſuiſſet, Verres, deſperato aoni ſequentis patrocinio, in exilium ſpoote conceſſit. Reliquas igitur Verrinas quinque non recitavit, ſed domi ſctipſit, poſteriſque ad exemplum reliquit; atque iccirco *Libri* dicuntur. In annum ejus octavum & trigeſimum incidunt Orationes duæ, pro Fontejo, & pro Cæcina. De altera autem hac ita ſcribit in Oratore c. 29. *Tota mihi cauſſa pro Cæcina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, Jus civile laudavimus, verba antiqua diſtinximus.* Etenim Jus quoque Civile optime calluit, atque adeo de illo ſcripſit, ut colligitur ex Gellii lib. I. c. 22. *M. Cicero in libro, qui inſcriptus eſt de Jure Civili in artem redigendo, verba hæc poſuit, &c.* Sed nunc libri hujus,

qui

qui extabat vivente Gellio, memoria quoque vetuſtate abiit. Fortaſſe ne abſolutus quidem fuit, ut apparet ex verbis Quinctiliani l. 12. c. 3. *M. Tullius non modo inter agendum nunquam eſt deſtitutus ſcientia juris, ſed etiam componere aliqua de eo cœperat.*

Sequitur divina illa pro lege Manilia, quam primam pro Roſtris habuit anno ætatis primo & quadrageſimo. Tunc quidem Prætor erat; & cum ipſe de repetundis quærere teneretur, eodem tempore apud Prætores ceteros aliorum criminum cauſſas agebat. Huc ſpectant Orationes pro Cluentio, & pro Cornelio majeſtatis reo. Sed altera periit præter verba pauca, quæ commentatus Aſconius poſteritati ſervavit. Quid quod hoc ipſo tempore, cum Antonius Gnipho Græce Latineque doctus ex Gallia Romam adveniſſet, ut Grammaticam & Rhetoricam juventuti traderet, Cicero cum aliis claris viris ejus ſcholam frequentare non dubitavit? ut narrant Suetonius de illuſtr. Grammat. c. 7. & Macrobius. Id fortaſſe etiam in cauſſa fuit, cur in provinciam poſt Præturam ire noluerit. Proinde non eſt mirum, ſi pro tanta iſta diſcendi cupiditate libros undique Græcos præſertim conquireret; qua de re non paucæ ſunt ad Atticum litteræ. Et quia Atticus ipſe magnam illorum copiam collegerat, non diſſimulavit, ſe in

eam ſpem veniſſe, ut aliquando ſuos faceret: *quod ſi aſſequor* (inquit Epiſt. 4. lib. 1.) *ſupero Craſſum divitiis, atque omnium lucos & prata contemno.*

Anno ſuo quarto & quadrageſimo, U. C. DCXC. Conſul factus eſt, & quidem petitione prima, nec ſuffragiis modo, ſed acclamationibus. Paullo ante Comitia in Senatu egerat adverſus Competitores C. Antonium & L. Catilinam, cujus orationis vix quippiam extat præter titulum, *In toga candida*. Toga autem candida utebantur petitores. Conſul cum eſſet, Catilinarias habuit, & Agrarias contra Rullum, per quas dicendo efficere potuit, ut agrariam legem, ideſt alimenta ſua, inquit Plinius l. 7. c. 30. Romanæ Tribus abdicarent. Adde his Rabirianam de perduellionis crimine.

Statim poſt Conſulatum L. Murenam, quem ipſe Comitiis a ſe habitis Conſulem renunciaverat, ambitus accuſatum defendit; tum pro L. Flacco dixit, pro P. Sylla, & pro Archia Poeta magiſtro ſuo. In domeſtico autem otio commentarium de rebus a ſe in Conſulatu geſtis Græce compoſuit, & Rhodum miſit ad Poſidonium, quem initio libri primi de Natura Deorum inter Philoſophos numerat, a quibus eſt inſtitutus, ut ex eo hiſtoriam ipſe elegantius ſcriberet, Græciſque ſuis daret. Reſpondit Poſidonius, ut eſt in Epiſtola 1. lib. 2. ad Atticum,

ſe

ſe ὑπόμνημα illud cum legeret, non modo non excitatum ad ſcribendum, ſed etiam plane perterritum eſſe. *Quid quæris?* (inquit ibidem Cicero) *Conturbavi Græcam nationem. Ita, vulgo qui inſtabant, ut darem ſibi quod ornarent, jam exhibere mihi moleſtiam deſtiterunt.* Scripſit etiam per hæc tempora ad Quinctum Fratrem Aſiæ Prætorem Epiſtolam de ratione regendæ provinciæ, quam ego ad noſtrorum Prætorum uſum Italico ſermone traduxi.

Triennio poſt Conſulatum ſuum lege Clodia, nequicquam implorata Piſonis & Gabinii Conſulum fide, in exilium pulſus eſt. Sed exilio ipſo, quod ceteroquin ægerrime tulit, ad ingenium exercendum uſus, libros tres de temporibus ſuis uſque ad exilii finem, verſibus ſcripſit: ex quibus tamen nihil remanet præter fragmentum aliquod. Volumen quoque orationum Conſularium confecit, & hoc titulo edidit, ut ab Judiciariis diſtinguerentur: ſed neque Conſulares omnes, neque Judiciariæ, vetuſtatem ferre potuerunt, ejuſque edacitati reſiſtere. Illa ipſa Metellina periit, quam Cicero memorat in l. 1. ad Attic. ep. 13. ideſt *Oratio contra concionem Q. Metelli.* Sic enim inſcripta erat, ut refert Gellius, cujus ætate adhuc extabat.

Reſtitutus in patriam poſt menſium exilium paullo plus ſexdecim, Senatoribus pri-

num publice gratias egit, deinde Quiritibus, tum pro domo ſua dixit ad Pontifices, poſtea de Haruſpicum reſponſis in Senatu orationem habuit. Et quia multi quærunt, quænam ſit ex ejus orationibus pulcherrima, en tibi auctoris ipſius judicium in l. 4. ad Attic. ep. 2. *Diximus apud Pontifices pridie Kal. Oct. Acta res eſt accurate a nobis: &, ſi unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam ſi nunquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit*. Aliis aliæ magis placent; ſed omnes ſunt ejuſmodi, Quinctiliano judice l. 10. c. 1. ut jam Cicero non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur.

Poſtea multis exortis inter viros civitatis principes dominandi libidine contentionibus, ipſe ſe abduxit a Curia, & ad forum rediit; qua occaſione etiam homines de ſe non optime meritos amicorum rogatu defendit, ut eſt in epiſtola ad Familiares 1. lib. 7. Ad hæc tempora pertinent orationes tres, pro Cœlio, pro Sextio, & in Vatinium, qui contra Sextium teſtimonium dixerat. Iccireo autem tertia hæc a Grammaticis & a Cicerone ipſo *Interrogatio* dicitur, quia Vatinium hominem perditum & teſtem fallaciſſimum perpetua concidit interrogatione.

Non diu abfuit a Curia. Nam, inſtantibus Comitiis anni DCXCVII. cum delibera-

re

re Senatus cœpiſſet de provinciis lege Gabinia futuris Conſulibus decernendis, præclaram orationem Cicero habuit *de provinciis Conſularibus*. Res tota in duabus Galliis vertebatur, quas Cæſar cum imperio tenebat, & in Macedonia, Syriaque, quarum alteri L. Piſo, alteri A. Gabinius præerant. Cicero Piſoni & Gabinio jure meritoque iratus pervicit, ut, iis revocatis, Cæſari imperium confirmaretur. Hæc ipſa oratio ſua quadam ratione referri poteſt ad Judiciales, quamvis in Senatu ſit habita. Eſt enim perpetua quædam Piſonis & Gabinii accuſatio, Cæſariſque defenſio. Sed & ea quæ proxime ſequitur in Piſonem, ad idem genus pertinere videtur, in qua cum illius infectatione ſui Conſulatus defenſionem conjungit. Nunquam fortaſſe fuit in dicendo concitatior.

Jam annum attigerat alterum & quinquageſimum, cum ad vitandas procerum in Senatu altercationes in prædium ſuburbanum ſeceſſit, ibique tres de Oratore libros abſolvit, *qui*, ut ipſe in libro primo Familiarium ad Lentulum ſcribit, *abhorrent a communibus præceptis, atque omnem antiquorum, & Ariſtoteleam, & Iſocrateam rationem Oratoriam complectuntur*. In iis autem diſputantes inducit P. Craſſum, & M. Antonium paullo ſeniores, a quibus Latini ſermonis maturitatem ad ſummum fuiſſe perductam, ſcribit in Bruto.

Vere toto anni tertii & quinquageſimi cum partim in Cumano, partim in Tuſculano fuiſſet, libros novem ſcribere inſtituit, & quidem totidem dialogis, de optimo civitatis ſtatu, & optimo cive; ſed ſæpe ſcribendi conſilium, rationemque variavit. Ac primum quidem duos abſolvit emiſitque; nec ita multo poſt reliquos perſecutus ad ſextum uſque pervenit, eoque rem clauſit. Hi ſunt celeberrimi *de Republica* libri, qui tempore interierunt præter fragmenta pauca, & *Somnium Scipionis*, opuſculum plane divinum, ex quo ſumpſere Philoſophi omnes, qui de animæ immortalitate poſtea ſcripſerunt. Cæſari Galliam gubemanti per Q. Fratrem & generum Dolabellam conciliatus, Græcum de ſuo Conſulatu ad eum poema miſit: ſed liber primus cum valde Cæſari placuiſſet, reliqua viſa ſunt illi frigidiora. Poſtea ad Cæſarem ipſum, hortante Fratre, qui ejus Legatus in Gallia erat, Epicum carmen inſtituit; quod cum ſæpe curis aliis diſtentus incidiſſet, eodem demum impellente, perfecit, & ad eum in Britanniam miſit, quo cum imperio & exercitu tranſierat. Neutrum ad poſteros pervenit. Quia porro Vatinius Cæſaris amicus erat, eum Cicero in judicio rogatus defendit; quamvis antea in Sextii cauſſa nefarium hominem ſibique inimiciſſimum oppugnaſſet. Eodem rogante Cæſare, ſeu Pompejo, ut Dioni placet, Ga-

bi-

binium quoque in gratiam recepit, poſtulatumque repetundarum ſummo ſtudio tutari conatus eſt, ut narrat Valerius Maximus l. 4. c. 2. Fruſtra tamen, quia damnatus eſt, & publicatis bonis in exilium abire coactus: unde orta tamquam appendicula C. Rabirii Poſtumi defenſio, ad quem pecuniarum pars perveniſſe dicebatur. Egit per eoſdem fere dies & pro Meſſio, & pro Scauro, & pro Druſo, & pro Plancio: ſed ſola ex omnibus Oratio remanet Planciana.

Quarto ætatis anno & quinquageſimo in Augurum Collegium cooptatus eſt, ſequenti autem Milonem de Clodii cæde accuſatum defendit oratione facundiſſima; quam totam Clodianorum clamoribus impeditus cum recitare non potuiſſet, domi exaravit, & ad Milonem ipſum miſit Maſſiliæ exulantem. Ad hunc annum libri *de Legibus* referuntur. Poſtquam enim optimum informavit reipublicæ ſtatum, Platonem imitatus, quem Deum ſuum appellare ſolebat, leges conſcripſit, quæ illi eſſent accommodatæ. Sed ex libris ſex, quos ediderat, tres ſolummodo extant.

Anno ſexto & quinquageſimo libros ſuos non ſane libenter deſeruit, & in Ciliciam cum imperio profectus eſt una cum Q. Fratre ipſius Legato. Cum autem per Græciam tranſiret, decem admodum dies Athenis fuit apud Ariſtonem Academicum, civitatis ejus

erga

erga ſe benevolentia, & Philoſophorum colloquiis mirifice captus. Ex provincia rediens cum faſcibus laureatis in belli Civilis flammam incidit; quo tempore cum in Formianum seceſſiſſet, ne ſe totum ægritudini daret, theſes quaſdam politicas, ad temporis rationem atque uſum accommodatas, Academico more pertractavit. *His ego me* (inquit ad Atticum l. 9. ep. 4.) *conſultationibus exercens, & diſſerens in utramque partem tum Græce, tum Latine, & abduco parumper animum a moleſtiis, & τῶν πρὔργυ τὶ delibero.* Poſt bellum, cui finem attulit Pharſalica pugna, & mors Pompeji, cum libris ſuis in gratiam rediit, ut ipſe ad Varronem ſcribit in libro Familiarum 9. ep. 1. cum jam annum ageret LXI. Otium hoc litterarum filio ſuo, qui annum decimum octavum attigerat, utile eſſe voluit. Sctipſit enim ejus gratia *de Partitionibus Oratoriis*; nec plus operæ in iis poſuit, quam filii inſtitutio poſceret. Multo plus curæ atque induſtriæ in Dialogo *de Claris Oratoribus* collocavit, qui *Brutus* dicitur. Fingit autem habitum fuiſſe inter Brutum ipſum & Atticum in hortis ſuis propter Platonis ſtatuam. Huic porto, qui quartus de Oratore liber dici poteſt, quintum non multo poſt adjecit, qui *Orator* inſcribitur; & in hunc quidem quidquid artis & judicii habuit, Cicero contulit, ut abſolutam quamdam planeque

que perfectam eloquentiæ ſormam & figuram exprimeret. Ita enim ad Leptam ſcribit l. 6. Famil. ep. 18. *Oratorem meum tantopere a te probari, vehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo, me quidquid habuerim judicii de dicendo, in illum librum contuliſſe: qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoque aliquid ſum; ſin aliter, non recuſo, quin quantum de illo libro, tantundem de mei judicii fama detrahatur.* Attamen Bruto non placuit, ut Ciceto ipſe ad Atticum ſcribit l. 14. ep. 20. *Cum Bruti precibus pæne adductus ſcripſiſſem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud, quod mihi placeret, non probari.* Sed Brutus quidem, acrioris ingenii cum eſſet, ipſius quoque Orationis Milonianæ ſtarum ſibi non placere declaravit, alia compoſita exercitationis gratia pro Milone Oratione, ut obſervat Quinctilianus l. 3. c. 6. En forſaſſe cauſſa, cur *de optimo genere Oratorum* librum alium poſtea Cicero ſcripſerit, qui Rhetoricorum poſtremus eſt. Quamquam eo quoque ſpectaſſe videtur, ut illos refellere, qui oratorum genera non recte diſtinguentes, ipſum Aſianum vocitabant. Exempla ſubinde adjecit, ut mihi quidem videtur, duabus eximiis pro Matcello, & pro Ligario orationibus, quas in Senatu ad Cæſarem habuit. Alia per id tempus ab eo ſcripta vel latent, vel periore; inter quæ li-

liber *de Catonis laudibus*, quo illum cælo æquavit, ut ait Tacitus in Annal. 4. c. 34. Cum Cæſar in Hiſpaniam profectus eſſet adverſus Pompeji filios, Ciceronem Romæ tenuit Tulliæ filiæ partus, ex quo defecit: atque ita, quod unum illi relictum ſolatium erat, repente amiſit. Fruſtra illum amici ſolari conati ſunt; fruſtra quæcunque de luctu minuendo ſcripſere viri docti, tum in ſua, tum in Attici bibliotheca legit; denique *feci* (inquit ad Atticum l. 12. ep. 14.) *quod profecto ante me nemo, ut ipſe me per litteras conſolarer*. Hic tamen ipſe mirificus *de ſui Conſolatione* liber, quem ipſi quoque Chriſtianæ Eccleſiæ Patres præ manibus habere conſueverunt, & ſummopere laudarunt, jam intercidit. Nam lucubratiuncula *de Conſolatione*, quæ cum Tullianis operibus edi ſolet, non ejuſdem auctoris eſt, ſed ſtrenui imitatoris Caroli Sigonii Mutinenſis. Hinc magno quodam ſolitudinis ſtudio incenſus, oblatum neceſſitate otium flexit ad ſcribendi conſilium. *Credibile non eſt* (inquit lib. 13. ad Attic. ep. 26.) *quantum ſcribam die, quin etiam noctibus*. Scribebat autem de Philoſophia, quæ civibus ſuis utilia fore exiſtimabat, quandoquidem in tanto armorum motu opera & conſilio prodeſſe patriæ, ut ante conſueverat, minime poterat. Ac primum quidem ad Philoſophiæ ſtudium cohortatus eſt libro, qui eſt

in-

inſcriptus *Hortenſius*, ex cujus lectione D. Auguſtinus ſapientiæ amore incenſus juvenilia vota & deſideria mutavit, ut ipſe de ſe ſcribit in l. 3. Confeſſ. c. 4. & in l. 8. c. 7. Sed opus tam utile a tota antiquitate laudatum intra antiquitatem ſtetit. Tum autem Academica ſcripſit, in quibus oſtendit, quodnam ſibi philoſophiæ genus maxime probaretur. Poſtea philoſophandi locos omnes aperuit, ne Græcis de Philoſophia ſcriptis Romani homines indigerent. Ipſa ejus verba afferamus, quæ ſunt initio libri *de Divinatione* ſecundi. *Cum fundamentum ſit philoſophiæ poſitum in finibus bonorum & malorum, perpurgatus eſt is locus a nobis quinque libris, ut quid a quoque, & quid contra quemque philoſophum diceretur, intelligi poſſet. Totidem ſubſecuti libri Tuſculanarum diſputationum, res ad beate vivendum maxime neceſſarias aperuerunt. Primus enim eſt de contemnenda morte; ſecundus de tolerando dolore; de ægritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus eſt, qui totam philoſophiam maxime illuſtrat. Docet enim, ad beate vivendum virtutem ſeipſa eſſe contentam. Quibus rebus editis, tres libri perfecti ſunt de natura Deorum, in quibus omnis ejus loci quæſtio continetur; quæ ut plane eſſet cumulateque perfecta, de Divinatione ingreſſi ſumus his libris ſcribere; quibus, ut eſt in animo, de Fato ſi adjunxerimus,*

mus,

mus, erit abunde ſatisfactum toti huic quæſtioni. Redeamus ad Academica, quæ primum duobus libris explicuit, *Catulo*, & *Lucullo*: ſed poſtea, mutato conſilio, a viris nobilibus illis quidem, ſed nullo modo philologis, ad Varronem ſodalem ſuum rem tranſtulit, & ex libris duobus jam ſepoſitis quatuor fecit. Fingit autem ſermonem habitum in Varronis ipſius Cumano, cum eſſet una Pomponius Atticus. De his libris ita ſibi placebat, ut in tali genere ne apud Græcos quidem eſſe quicquam ſimile exiſtimaret. Attamen ne *Catulum* quidem & *Lucullum*, quos Attico deſcribendos dederat, latere paſſus eſt; ſed eos poſtea novis proœmiis additis excitavit, & claros viros, unde illis nomen, multis laudibus ornavit, ut eſt in libro ad Atticum 13. ep. 32. Nunc ex quatuor Varronianis libris primum dumtaxat habemus, eumque mancum; ex duobus autem prioribus ſecundum, ideſt *Lucullum*, quem Grammatici quartum Academicum vocare ſolent.

In libris *de Finibus*, quibus quæritur, quid ſit ultimum illud, quo bene vivendi conſilia omnia referri debent, Ariſtotelis morem ſecutus eſt, ut ipſe profitetur l. 13. ad Attic. ep. 19. Excluſis enim Epicureis, & Stoicis, veteris Academiæ & Peripateticorum placita in libro ultimo confirmat & amplectitur.

Tu-

Tuſculanas quæſtiones a loco nuncupavit, ubi eas ſcripſit, hoc eſt a Tuſculano ſuo, ubi Academiam condiderat Athenienſis inſtar. In hanc ipſe cum amicis deſcendebat poſt meridiem (nam antemeridiana exercitatio oratoria erat) ibique ponere jubebat, de quo quis audire vellet, atque ad id aut ſedens, aut ambulans diſputabat. En tibi dierum quinque ſcholas iiſdem fere verbis expreſſas, quibus diſputatum eſt.

Ex his ſatis conſtat, fuiſſe Ciceronem non Oratorum modo Latinorum principem, ſed etiam Philoſophorum. Cum autem nullius ſectæ veteribus probatæ inſcius eſſet, ut ait Macrobius l. 1. in Somn. Scip. c. 17. eam ipſe potiſſimum ſequi maluit, quæ peperit dicendi copiam, ut eſt in procemio *Paradoxorum*. Fuit igitur Academicus, non tamen Carneadeus, ſed Socraticus, ideoque etiam Peripateticus. Nam Academici veteres & Peripatetici nominibus differebant, reipſa congruebant, ut eſt in *Lucullo* c. 3. Diſputabat quidem in utramque partem; ſed *noſtræ diſputationes* (inquit ibidem) *nihil aliud agunt, niſi ut eliciant & tamquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quam proxime accedat.*

Scripſit etiam, id ætatis cum eſſet, funebrem Porciæ laudationem, quæ ſoror Catonis fuerat, & Domitii Ænobarbi uxor. Cum autem jam exiſſet, atque in multo-

rum

rum manibus eſſet, non dubitavit eam ſe-
cundis curis ſubjicere, ut eſt in libro ad
Attic. 13. ep. 48. Sed hæc quoque vetuſtate
abſumpta eſt.

Tribus circiter ante menſibus, quam an-
num LXII. iniret, cum Cæſar ex Hiſpania
rediiſſet, victis Pompeji filiis, acta eſt De-
jotari regis cauſſa, de qua Tulliana extat
oratio. Mihi quidem nihil fieri potuiſſe vi-
detur ingenioſius, pro ea temporum ac per-
ſonarum conditione: attamen auctor ipſe ita
de illa ſcribit ad Dolabellam in libro Fa-
miliar. 9. ep. 12. *Oratiunculam pro Dejotaro
tibi miſi, quam velim ſic legas ut cauſſam
tenuem & inopem. Sed ego hoſpiti veteri &
amico munuſculum mittere volui levidenſe craſ-
ſo filo, cujuſmodi ipſius ſolent eſſe munera*.
Cæſar Dejotari abſolutionem diſtulit. Dum
autem expeditionem in Parthos pararet,
Anticatonem ſuum abſolvit, in quo multa
refellebat, quæ in Ciceronis *Catone* lauda-
bantur. Nec vero Cicero queſtus eſt, ſed
opus probavit, & epiſtolam ad Cæſarem
miſit officii plenam. *Scripſi*, inquit, *ἀκολα-
κεύτως, ſed tamen ſic, ut nihil eum exiſti-
mem lecturum libentius*. l. 13. ad Attic. ep. 51.

Omnia jam quieta videbantur, cum Cæ-
ſar idibus martiis interfectus eſt. Cædem
hanc nemo tulit moleſtius, quam ejus in Con-
ſulatu collega M. Antonius, qui ſibi quoque
metuens totum diem latuit, poſtridie au-

tem

tem de communi concordia cum ceteris conſularibus egit. Itaque XVI. Kal. April. in ædem Telluris convocato Senatu, Cicero fundamentum pacis jecit; renovatoque Athenarum exemplo, Græcoque etiam uſurpato verbo ἀμνηστία, omnem diſcordiarum memoriam oblivione ſempiterna delendam cenſuit. Præclara Antonii oratio fuit, ut ipſe ait Cicero; ſed quia non egerat ex animo, cito ſe Cæſarianum declaravit, tamque multa miſcuit, ut Cicero publico abſtinere tutius duxerit, ſolatiumque omne a ſtudiis ſuis quærere. Hoc tempore libros duos *de Gloria* ſcripſit, quorum exempla uſque ad atavorum noſtrorum ætatem cum perveniſſent, hodie nulla ſunt. Conſilium quoque ceperat in Græciam pergendi, ut M. Filium Athenis inviſeret, quo eum paullo ante miſerat, quam Cæſar in Hiſpaniam proficiſceretur, cum antea Pharſalicæ pugnæ apud Pompejum interfuiſſet. Sed cum Dolabella Conſul eum de Republica bene ſperare juſſiſſet, iter diſtulit. Tenuit tamen ſe in prædiis ſuis extra urbem, litteris abditus, præſertim cum Octavius, qui poſtea Octavianus dictus eſt, Cæſaris ex ſorore nepos & heres, ex Græcia adveniſſet, ac multa moveret, veteranorum militum ſavore & auxilio fretus. Neceſſario otio recte uſus per hos menſes uſque ad Kalendas Junias, libros ſcripſit *de natura Deorum*, *de Divinatione*, *de Fato*, *de*

Se-

Senectute, *de Amicitia*, &, niſi fallor, etiam *de Univerſo* ex Platonis Timæo. Compoſuit præterea *ἀνέκδοτα* quædam, ut amicis legenda daret. Α'νέκδοτα, inquit l. 2. ad Attic. ep. 6. *quæ tibi uni legamus*, *Theopompino genere*, *aut etiam aſperiore multo*, *pangentur*. Et l. 14. ep. 17. *Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum*, *ut volui*, *perpolivi*. Et quia cum Muſis omnibus commercium habere cogitavit, quæ ſunt ejus verba, Geographica quoque pollicitus Attico fuerat; ſed opus nimis magnum, & Græcorum controverſiis implicatum cito dimiſit, ut eſt in epiſtolis ad eundem Attic. 4. & 6. lib. 2. Kalendis Juniis ſtatuerat Romæ eſſe, & in Senatum ire; ſed cum turbulenta Antonii conſilia ad bellum ſpectare viderentur, ſenatoreſque multi metu perterriti diffugiſſent, ipſe quoque rurſus de Græcia cogitare cœpit, petiitque a Dolabella Conſule legationem liberam, ad Kalendas Januarias rediturus. Interim a Bajis in Pompejanum tranſivit; ibique mirabile de Officiis opus ad Marcum filium ſcribere aggreſſus eſt. *Nos hic* (inquit *ad Attic. l. 15. ep. 13.*) φιλοσοφῦμεν (*quid enim aliud?*) καὶ τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος *magnifice explicamus*, *προσφωνοῦμενque Ciceroni*. *Qua de re enim potius pater filio? deinde alia*. *Quid quæris? Extabit opera peregrinationis hujus*. Orationem quoque neſcio quam compoſuit, ut eſt ibidem, & ad-

ad eundem Atticum miſit, ut eam cuſtodiret, & pro arbitrio ſuo, Republica recuperata, proferret. In ipſa autem navigatione ſine libris *Topica* ad Trebatium conſcripſit, quod ei jamdiu promiſerat, *quaſi admonitus*, inquit, *æris alieni, cum Veliæ tua tuoſque vidiſſem*. Rhegium cum perveniſſet, jam opus abſolverat, miſitque ex ea urbe ad Trebatium, ut eſt in libro Familiar. 7. ep. 19. Neque vero poſtea in navi vacavit, ſed novum procœmium libro *de Gloria* adjecit. Pertinet autem, ut mihi videtur, ad cognoſcendam rationem ſtudiorum ejus, quod de re hac ſcribit ad Atticum l. 16. ep. 6. *Negligentiam meam cognoſce. De Gloria librum ad te miſi: at in eo procœmium idem eſt, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen procœmiorum; ex eo eligere ſoleo, cum aliquod* σύγγραμμα *inſtitui. Itaque jam in Tuſculano, qui non meminiſſem me abuſum iſto procœmio, conjeci in eum librum, quem tibi miſi. Cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque ſtatim novum procœmium exaravi, & tibi miſi: tu illud deſecabis, hoc agglutinabis*.

Kalendis ſextilibus Syracuſas pervenit, qua in urbe ſibi amiciſſima nocte una dumtaxat commoratus, ſtatim conſcendit ut tranſmitteret: ſed auſtro ad Leucopetram rejectus cum fuiſſet, Rhegini homines, qui re-

recentes Roma venerant, nunciarunt, Senatum Kalendis Septembr. frequentem futurum ; ſpemque oboriri maximam, fore ut Antonius cederet, & ad Senatus auctoritatem rediret ; Ciceronem proinde ipſum deſidetari, & ſubaccuſari quod abeſſet. Hæc cum audiſſet, profectionis conſilio abjecto, Romam rediit, eoque pervenit pridie Kalendas, quibus habitus Senatus eſt. Sed cum intereſſe non potuiſſet, quod de via langueret, id ægre tulit Antonius, in eumque acerbiſſime invectus eſt, minis etiam adhibitis. Petdoluit; & eum poſtidie intetfuiſſet, eam orationem in Antonium babuit, quæ Philippica prima dicitut ; quo nomine tum hanc, tum reliquas Antonianas vocavit, quod orationes a Demoſtbene in Philippum habitas ſit imitatus. *In ſumma*, (inquit l. 12. Familiar. ep. 25.) *reliquorum ſervitute liber fui*. Hic enimvero tonare & fulgurare viſus eſt; & cum Philippicæ omnes ab antiquis ſcriptoribus magnopere laudantur, tum ſecunda præſertim in cælum fertur, & divina vocitatur. Identidem autem domi latebat, vel ſe ex urbe ſubducebat, ut animum ſcribendo levaret. *Quod me hortaris* (inquit l. 16. ad Attic. ep. 11.) *ad ſcribendum, amice tu quidem, ſed me ſcito agere nibil aliud*. Itaque & libros tres *de Officiis* abſolvit, quibus nihil melius tota habet Socratica philoſophia; & ipſa quoque

ad

ad Brutum *Paradoxa* hoc tempore ſcripſiſſe creditur, ad quandam veluti ſenilem declamationem.

Initio anni LXIV. qui poſtremus ejus vitæ fuit, Philippicam quintam habuit, & ſubinde reliquas. Ceterum ipſa quoque Ciceronis mors ad acta ejus & fata litteraria pertinet. Interfectus eſt enim Antonii Triumviri mandato, quod adverſus illum tamquam reip. everſorem in Senatu & ad populum nimis acriter concionatus fuiſſet. Et, ne cauſſa in obſcuro eſſet, interfecti caput & manum Antonius Roſtris appoſuit. Ferunt etiam, uxorem ejus Fulviam caput ſibi allatum muliebri furore percitam conſpuiſſe; & extractam ore linguam non ſine probris & maledictis acu pupugiſſe.

Cum Cicero vivendi & ſcribendi finem feciſſet, Tiro libertus dicta ejus faceta collegit, atque edidit tribus libris comprehenſa. Sed jam multa ex his, ipſo vivente Cicerone, C. Trebonius protulerat: qua de re illi gratias agit epiſtola 21. lib. 15. *Liber iſte, quem mihi miſiſti, quantam habet declarationem amoris tui! primum quod tibi facetum videtur quidquid ego dixi, quod aliis fortaſſe non item; deinde quod illa, ſive faceta ſunt, ſive ſecus ſunt, fiunt narrante te venuſtiſſima*. Re vera lepore & facetiis plurimum valuit, & per has judicibus ad hilaritatem traductis, ſæpe profecit: ſed interdum

dum viſus eſt nimius, ut ſcribit Quinctilianus l. 6. c. 3. Idem Tiro & epiſtolas collegit, & alia longe plura, quam quæ ad nos pervenere: quæ tamen habemus, ſunt ejuſmodi, ut in ſuo quæque genere non Latina modo, ſed omnia omnium linguarum & ætatum ſcripta poſt ſe relinquant. Ex his multa Romæ ſcripſit, vel dictavit, ſed pleraque in villis ſuis, in quibus apparatiſſimis & Muſeum habebat, & Academiam, & bibliothecam, Antii præſertim mirificam, ut ipſe eam vocat ad Attic. l. 4. ep. 4. quam ordinavit & expolivit Tyrannio Grammaticus. Ne otium quidem illi unquam otioſum fuit, ut ipſe declarat *pro Plancio c.* 27. & quæ alii ad animi quietem & corporis ſibi concedi tempora volunt, Cicero rebus agendis defatigatus ſcriptioni & contemplationi dabat.

Neque vero tanto viro, omnium gentium omniſque memoriæ celeberrimo, defuere obtrectatores, ut refert Tacitus, ſeu Quinctilianus *de ſui temporis Oratoribus c.* 18. Quod ego iccirco animadverto, ne nos homunculi, qui in ſtadio litterario ſumus, ſiquid tale nobis accidat, inconſulte queramur. Ita fert ipſa litterarum natura & conditio, ut, cum valde lucent, infirmiores oculos offendant.

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS

OPERA, QUÆ EXTANT.

O*Ratoria*. Orationes fere LX. de Rhetorica inventione libri duo, de Oratore libri tres, Brutus, Orator, Topica, Partitiones, de optimo Oratorum genere.

Philoſophica. Academicorum liber primus, & qui *Lucullus* inſcribitur, de Finibus libri quinque, Tuſculanarum quæſtionum libri quinque, de Natura Deorum libri tres, de Divinatione libri duo, de Legibus libri tres, de Fato, de Univerſo, de Officiis libri tres, de Senectute, de Amicitia, Paradoxa, Somnium Scipionis.

Epiſtolæ. Ad Familiares libri ſexdecim, ad Atticum libri ſexdecim, ad Q. Fratrem libri tres, ad Brutum epiſtolæ XXV.

Fragmenta varia, Oratoria, Philoſophica, Politica, Hiſtorica, Poetica, &c.

ILLE SE PROFECISSE SCIAT, CUI CICERO VALDE PLACEBIT.
Quinctilianus Inſtitut. l. x. c. 1.

F I N I S.

S5 83509+